

47.

Viro clarissimo DD. Nicol. Jacquinio Profess. Bot.
 Wiennens. s. pl. d. Car. v. Linné.

Tuas d. 4. Septembr. pridie accepi, in quibus multo labore ipse exscripsisti nomina plantarum Tuarum in Specim. 2. et 3. propositarum. Fasciculus uterque mihi promissus est certo in proximum tempus vernale.

Nunc in praedio haereo, remotus a Bibliotheca et urbe. misi in urbem et vocavi D. Tidstroem, ut veniat antequam literae hae abeant.

Cynosurus carpaticus est singulare gramen, quod non vidi. flores habent multam affinitatem cum *Pois*, habitus licet *Cynosuri caerulei*, situ florum, culmo enodi. etc.

Rosa Tua est speciosissima, quam non vidi.

Senecio nequaquam est triflorus, cui aliquatenus similis, sed multo major, mihi crevit in frigidario, nescio unde acquisita, ad bipedalem altitudinem; cum *S. arabico* nihil commune habet. In catalogo seminum nostrorum video eandem dictum *S. aegyptiacum* a D. Zoega.

Possum errasse, possunt et alii, dum synonyma Halleri et Seguierii feci *Alsines mucronatae*, sed Seguier dixit stamina 5 adesse; sed certe non erro dum duas distinctas plantas separo, quas habeo exsiccatas. Synonyma in urbem redux cum *Arenaria fasciculata* studiose conferam, et edoctus lubenter ad *Arenariam fasciculatam* transponam, et me a Te edoctum agnoscam; sed ubi tum reperiam synonyma meae *Alsines mucronatae* ego non novi, nequit esse nova, cum eam et ex Helvetia et ex Hispania habui.

Tota hac aestate a festo Johannis in hunc usque diem inter plantas capenses exspatiavi, accepi enim centurias 3 plantarum capensium pulcherrime exsiccatas, quae abunde convicerunt, quam paucae hujus regionis etiamnum innouere. Nunc certo possideo ultra 50 species *Ericae capenses*, demtis Europaeis.